


NVMMVS CASTRENSIS
CAROLI DUCIS SVECIAE, CUSUS EXPE-
ditione susceptâ contra Sigismundum Poloniae
& Sueciae Regem. Anno Chri-
sti 1599.



SIGISMUNDUS III. Sueciae & Poloniae Rex, classe multarum navium comparatâ, mense Augusto expeditionem in Sueciam, ad res in regno avito & patrio turbatas componendas, suscepit. Non minorem vero regiâ potentiam & authoritatem in Suecia obtinebat Carolus Sudermaniae Dux, Sigismundi patruus, peneque unus ob stare videbatur, quominus praefectis Regiis, quantam vellent, obedientia praestaretur. Ad famam classis Regiae appulsa pauci Suecorum Proceres ad Regium exercitum se adiungunt. Interea Carolus cum exercitu Stecoburgum se Regi obijcit, & pacis condiciones offert. Rex tridui consultatione frustra habitâ, de nocte Lincopiam versus cõ- tendit; discedentem Carolus quantâ potest celeritate consequitur, & collatis castris, denuò caduceatorem de pace mittit: sed Rex diem locumque constituit, ubi proelio decerneretur. Cum torum eum diem Regia acies in procinctu steterisset, Sueci vero sui copiam non fecissent, Poloni in castra laxi revertuntur, & armis positis, equisque alligatis securè agunt. Interea trepidum de Suecorum adventu in castra nuncium allatum semisopitos excitavit. Poloni Suecos fortiter primum excipiunt; sed multitudine oppressi tandem in fugam vertuntur. Rex suis laborantibus Suecos aliquot equites subsidio miserat; verum illi vix viso eminens hoste, sunt dilapsi. Promoven- tibus aciem Suecis Rex pontes deiici iubet, quæ res Polonis omnem ad suos reditum interclusit. Hâc clade acceptâ inducias à Carolo petens impe- travit, habito colloquio Dux Regem Lincopiam comitatur, & in Regium palatium unâ cum eo divertit. Paucis diebus Rex Stecoburgum, inde Cal- mariam versus vestigia relegi, ubi conscensis navibus ad Dantiscum eijci- tur magis quam exponitur, conatibus eius ubique adversante fortunâ. Re- ge Calmariâ digresso, quam firmo Germanorum & Heiduccorum praesidio communicaverat, Carolus urbem & arcem statim terra marique obsidet,